Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1623
Quelle:
Copyright:

locis Evangelii: *Bonus paſtor dat animam ſuam pro ovibus* &c. et: *Cum perſequentur vos in civitate una* &c. et adductis *Auguſtini* expoſitionibus. *Huſſum* interdicto ſubjectum a. 1412. *Praga* ad tempus diſceſſiſſe tradit Hiſtoria; quidni igitur verba epiſtolae: *Nam me urget conſcientia, ne ſim abſens in ſcandalum quamuis non deſit ovibus neceſſarium verbi dei alimentum. Ex alia parte timor occurrit, ne mea preſentia per interdictum maledice adinuentum ſit occaſio ſubtractionis alimenti ſancte communionis ſacramenti venerabilis et aliorum pertinentium ad ſalutem* &c. ad illum pertineant? Itaque adi *Hiſtoriam et Monumenta* ejus, edita *Norib.* 1558. f. et invenies Epiſtolam hanc P. I. *fol.* 93. omiſſo tamen *Magiſtri Galli* nomine.

XIII. *fol.* 107. Examen Clericorum et Laicorum de Doctrina *Job. Wicleff* et *Job. Huſs*, inſcriptum: *Interrogatoria clericis facienda*, et dein: *interrogatoria omnibus facienda.* Priora ſunt numero IX. poſteriora XVII. aguntque de illorum Articulis *Conſtantiae* damnatis, de illorum Scriptis, fautoribus &c. in uſum, ut videtur, Eccleſiarum *Bohemiae* et *Moraviae* excerpta e Bulla *Martini* V. *Conſtantiae* data an. 1418. et inſerta T. XVI. *Coll. Concc.* edit. *Venet. col.* 751. item *Actor. Conc. Conſtant.* T. IV. P. 12. *col.* 1518.

XIV. *fol.* 108. *Sequitur recommendatio Beatiſſimi in chriſto patris et domini domini Martini pape quinti.* Oratio eſt gratulatoria habita in electione ejus a *Johanne de Podionucis* ſ. *Puinoix* (corrupte Podiomiris, Podiomitis, Podionitz, de Podio) Lemovice, FF. Praedicatorum, qui a partibus *Petri de Luna* ſtabant, Magiſtro generali, ſed in electione *Martini* abdicante, et ab eo ad *Catanenſes* infulas evecto, de quo plura *Quetifus* T. I. p. 708. Incipit: *Beatiſſime pater ad veſtrorum pedum oſcula ſanctorum alias beatorum. Ego predicatorum Ordinis licet immeritus et indignus iam in XVIII. anno generalis magiſter pro Chriſti Vicariatus ſummique apoſtolatus officio per ſanctitatem veſtram nouiter adepto. gaudioſum conſolatorium virtuoſumque exhortatorium vice mei tociusque ordinis antefati humiliter offero ſic dicendo: Elegit te dominus ut edificares domum ſanctuarii. Confortare et perfice. 1. Paralip. 28. Ni fallor in hoc quod elegit te dominus* &c. Subſcripta eſt: *Arenga facta Conſtancie per R. p. Jo. de Podionicz ſacre pagine profeſſorem ac ord. predicatorum generalem M. Coram domino papa Martino quinto &c. Anno domini &c. XVII.* Miratur *Echardus*, cui Codex noſter innotuerat, T. II. *Scriptt. O. P.* p. 821. Orationem hanc non eſſe in lucem datam ab *Herm. von der Hardt* in *Actis Conc.* Atqui plura vel Viro illi non indicata, vel abs eo praeterita fuiſſe ex hactenus recenſitis liquet. Ceterum et aliam *Orationem* Noſter jam Epiſcopus habuit in Concluſione